

manferunt, jam ultra dimidium decreverunt mole.

Adfunt vires, adest appetitus, vigentque omnes actiones, alvus solvitur quotidie, nulla autem manifesta & constans evacuatio sub usu hujus pulveris in hac ægra observatur.

EXPERIMENTUM IX.

FOemina, 43. annorum, atrocissimo dolore in brachio, pedeque dextro ita affligebatur, ut diu noctuque ejularit.

Nec ullo remedio opiato potuit somnus conciliari.

Adhibui per binas septimanas diversa medicamenta, ægra tamen vix ullum levamen percepit, vires conciderunt penitus, & corporis habitus multum extenuabatur.

Ten-

Tentavi tunc pulverem de extracto aconiti, dando mane grana viginti, & totidem vesperi.

Alvus aliquoties inde movebatur.

Dolores facti sunt mitiores, & secunda nocte ægra jam tranquille dormivit per tres horas.

Continuabatur eodem pulvere, exhibendo ter de die grana viginti.

Sexto die eruperunt per totum corpus pustulæ latæ, rubræ, prurientes, & tunc fere omnis dolor cessavit.

Idem pulvis adhuc dein per triduum assumebatur, tandem dabatur ægræ purgans ex unc. vi. aquæ laxativæ disp. Vien. & ex drach. j. salis polychrestii.

Hoc purgans duodecies operatum est cum Euphoria, & ab hoc tempore ægra dolorem non sentit, & potest brachium

pe-

pedemque libere movere, quod ante pulveris usum erat impossibile.

EXPERIMENTUM X.

ERat in nostro nosocomio homo, triginta aliquot annorum, qui atrocissima arthritide jam ultra novem menses decubuit.

Remedia interna externaque magna dosi & diu exhibita nil profus juverunt.

Omnes articuli totius corporis dolentissimo tumore erant inflati, æger nec manum nec pedem potuit movere, noctes erant infomnes, inquietæ.

Quamvis diversissima & alias maxime utilia remedia huic ægro fuerint adhibita, morbus tamen nequaquam mutabatur, imo quædam symptomata videbantur exacerbari.

G

Nec